



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An religio habeat potestatem eijciendi subditos regulares, & ob quas causas, & an religiosus ejectus nihilominus abligetur ad vota religionis, aliásque observationes regulares?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

regularibus requirendos, revocandos, & cogendos, ut ad monasterium redeant, multa statuuntur in c. ult. h. t. quia tamen hæc constitutio contraria consuetudine ferè abrogata est & ordine religiosi circa ejuscemodi fugitivos, apostatas, & ejectos suarum potius regularium, & constitutionum, ac statutorum tenorem observant, nulla videtur illius explicandæ ulterior necessitas.

§. II.

An religio habeat potestatem ejiciendi subditos regulares, & ob quas causas, & an religiosus ejectus nihilominus obligetur ad vota religionis, aliasque observationes regulares?

Quod possint ordines religiosi, suos subditos, etiam professos, expellere à religione, ex causa justa, & gravi, praxis religiosorum ordinum docet, & multa Summorum Pontificum privilegia religionibus hoc concedentia probant. Retecandæ enim carnes putridas esse, ut ne inficiantur bonæ, ratio naturalis etiam docet. Convenit autem hæc ejiciendi potestas ordinum Superioribus; cum consensu sæpe majoris partis capituli, juxta propria tamen variorum ordinum statuta, & privilegia. Causæ verò justæ talis ejektionis faciendæ, sunt de jure comuni, primò si notoriè sit in gravi crimine incorrigibilis professus. Secundò, si committat crimen infame, propter quod sine ordinis detrimento servari in ordine non potest. Tertio, si reticuit impedimentum, vel defectum valde gravem in receptione ad ordinem. Farentur tamen AA. in ejektionem talium professorum

valde cautos debere esse religiosos ordines, neque facile ad eam deveniendum, nisi post alias legitimas, etiam incarcerationis pœnas, accedat incorrigibilitas, aut valde grave religionis præjudicium: & hinc sacra Congregatio Concilii statuit, ut imposterum ex religionibus nullus ejiciatur professus, nisi sit verè incorrigibilis; qualis non censetur, nisi unius etiam anni spatio in jejunio, & pœnitentiâ probeur in carceribus.

Ejectus tamen per justam sententiam definitivam in perpetuum, ad vota quidem substantialia religionis adhuc obligatur, cum maneat etiam post ejektionem verus religiosus, & Prælato regulari non sit data licentia à votis regularis professionis eum solvendi, ad alias tamen regulæ observationes, jejunia v. g. abstinentiâ à carnibus, vigilia ordinis, &c. non obligatur amplius (nisi denuò ad ordinem recipiatur) cum hæc observantiæ non comitentur professionem trium substantialium votorum, sed regularem tantum statum, sub regula ordinis constitutum, à qua per ejektionem liberatur, non quidem quasi ex delicto suo commodum sentiret, sed quia principali cadente, statu scilicet regulari, cadit etiam accessorium, regulæ scilicet observatio, & taliter ejecto nimia difficultas oriretur, sine ullo ab ordine solatio, &c.

§* * §

Ecce 3

§. III.